

examinanda est. In tribunalibus, in quibus non nisi unus Judex est, eo recusato numerus Judicum per Advocatos, si qui sunt, illius tribunalis, alioquin per seniores Practicantes suppletur.

75 Si autem ex Senatoribus, vel Judicibus plures recusentur, tunc subinde recusationis cognitio ad Judicem superiorem spectat, aut subinde à Principe alii non suspectis Judicibus adjunguntur, quibus hujus causæ cognitio injungitur.

76 In Curiis sæcularibus, si grandis numerus Judicum est suspectus (a), sepe à Rege impetratur evocatio causæ ad aliud tribunal, & si suspicio ex causa consanguinitatis proveniat, sufficit, pro evocatione tres, aut quatuor Judices esse suspectos.

* 77 Juvat quoad appellationes ad Sedem Romanam circa majores causas veterem senum subjicere. Inquit S. Innocentius I. (b) *Si majores causæ in medium fuerint devolutæ, ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, & beata consuetudo exigit, post episcopale judicium, referantur. Juxta S. Leonem (c), si forte inter ipsos, qui præsent, de majoribus, quod absit, peccatis causa nascatur, quæ provinciali nequeat examine definiri— ad nostram cognitionem, quidquid illud est, transferatur. Præcipit Vigilus (d): Siqua vero certamina, aut de religione, quod absit, aut de quolibet negotio, quod ibi in Concilio pro sua magnitudine terminari non possit, totius veritatis indagine diligenti ratione discussa, relationis ad nos seriem destinantes, Apostolicæ Sedi terminanda servate. En ex sententia S. Gregorii veterem rerum ordinem (e): Si, inquit, quarundam causarum tale fuerit certamen exortum, in quo aliorum præsentia opus sit, congregatis sibi in numero competenti Fratribus, & Coepiscopis nostris, salubriter hoc æquitate servata ipse Metropolita Arelatensis discuciat, & canonica integritate decidat: si quam vero contentionem de fidei causa evenire contigerit, aut negotium emergerit, cujus vehemens forte sit dubietas, & pro sui magnitudine judicio Sedis Apostolicæ indigeat; examinata diligentius veritate relatione sua ac nostram studeat producere notionem, quatenus à nobis valeat sine dubio sententia terminari.*

TI-

(a) Idem n. 20. (b) S. Innoc. I. ep. 8. (c) S. Leo ep. 5. Ad Anast. Thess. c. 7. (d) Vigil. ad Auxent. c. 6. (e) S. Greg. lib. 5. ep. 50.

De Pœnis, & Censuris Ecclesiasticis.

C A P. I.

De Pœnitentiis Canonicis.

1 **S**emper penes Ecclesiam fuit auctoritas (a), pro qualitate criminum, & conditione pœnitentium satisfactiones justas, veluti pœnas, & pœnitentias decernendi, quibus pœnitentes tum à Deo gratiam mererentur, tum & ipsi suis peccatorum vulneribus mederentur (b), tum & scandala, siquæ fecissent, repararent.

2 Sunt vero hæ pœnitentiæ, pœnæve vel mere spirituales, veluti censuræ; vel aliquid sæcularæ involvunt, uti eleemosynæ. Priores generis pœnæ ita propriæ sunt Ecclesiæ, ut eas semper, & sola exercuerit, etiam in maximo persecutionum æstu; quia magis in simplici abstentione, & recusatione, quam coactione, & inflictione positiva, consistunt. Quid enim depositio Presbyteri aliud sibi vult, quam ut appareat, eum non amplius pro Presbytero esse habendum, neque Sacramenta, vel doctrinam ab eo accipiendam esse, quia à Sacerdotio exclusus est? Quid excommunicatio laici, quam ut declaretur, excommunicatum non pro Christiano, sed pro infideli esse habendum, cum à cætu fidelium esset expunctus?

3 Posterioris generis pœnæ, quæ coactionem quandam involvunt, pariter antiquis auctoritatibus nituntur: nam ab omni tempore Ecclesia peccatoribus pœnitentibus eleemosynas, jejunia, aliasque afflictiones corporis imperavit, impœnitentibus absolutionem denegavit, eosque, si diu hærent in vitio, neque ad pœnitentiam, vel satisfactionem proni essent, excommunicavit. Quippe veteri jure nemo invitus ad pœnitentiam vi obtorta cogebatur. Unde illæ satisfactiones potius instar conditionis offerebantur pro promerenda, contrahendaque pœnitentia canonica.

4 Novo jure (c), quod, neglecto veteri ordine pœnitentiæ canonicæ, forum justitiæ adoptavit, cœperunt exactiones eleemosynarum per modum mulctæ ad vindictam publicam criminum adhiberi. c. 13. §. 2. de Offic. Judic. Ord.

Eee 2

Ve-

Trid. sess. 14. de Pœnit. Sacr. c. 8. (b) Fleur. J. E. part. 3. cap. 13. De Mulct.

5 Vetat Alexander III. *Ne passim pro corrigendis excessibus, & criminibus puniendis à Clericis, & Laicis pœna pecuniaria exigeretur; utpote si crimen aliam pœnam spiritua- lem mereretur. c. 3. de Pœn. & ibi Fagnan.*

6 Et vero, si justus locus est exigendæ multæ oportet eam totam quantam juxta Tridentina Decreta (a) in pios usus, aut solatium pauperum impendere, ut nihil ex ea in privatum commodum Judicis ecclesiastici recidat. In Gallia pius usus, in quem pœna pecuniaria applicanda est, in ipsa sententia exprimendus est.

7 Præcipit in Concilio Mediolanensi I. S. Carolus, *ut, quotiescunque delicti causa Clerici multandi sunt, quæ ab ipsis exigenda erit pecunia, nullo modo ad Episcopum directe vel indirecte perveniat, in ejusve commoda quacunque ratione convertatur; sed idem Episcopus, parte pecuniæ, quæ tertiam non superet, delatori assignata, reliquam piis operibus, aut locis, quibus ei videbitur, omnino attribuat.*

8 Inter species pœnitentiæ fuit & jam pridem reclusio pœnitentium in Monasterio (b), ut ibidem peccata sua de- flectere, & exercitia pœnitentiæ ab hominum conspectu remoti facilius subire, & occasiones peccatorum evitare possent. Meminit hujus pœnitentiæ Synodus Agathensis c. 7. D. 50. Meminit hujus reclusionis frequentius S. Gregorius. c. 15. 18. 19. 28. 39. XXVII. q. 1.

9 Fuit hujus pœnæ mentio & in argumentis novi juris c. 6. §. 7. de homicid. c. 35. de Sent. Excom. Hodie sæpe solent Episcopi, eorumve Officiales Sacerdotibus, aut Clericis in vitium prolapsis injungere, ut se ad tempus, vel perpetuo in Monasterium, aut Seminarium Clericorum recipiant, certa pietatis, præscriptæque pœnitentiæ exercitia pro peccatorum expiatione, & vitæ emendatione subituri.

10 Verum aliquorum ea est duritia (c), & malitia, ut nec disciplina regularis ad eos continendos, & à vitiis retrahendos sufficeret, unde jam pridem in usu fuit, ut & in ipsis Monasteriis essent loca quædam separata, quibus tanquam in carcere incorrigibiles, & majorum scelerum rei recluderentur. In regula Aquisgranensi dicitur (d): *Sit locus intra claustra Canonicorum, sicut in multis locis noscitur esse, quo ad tempus retrudantur, & secundum modum culpæ castigentur.*

11 Novo jure ecclesiastici carceris, quem Episcopi in suis Prætoriis pœnitentiæ Cleri assignabant, sæpius mentio re-
cur-

(a) Trid. sess. 23. c. 1. sess. 25. cap. 3. & 14. (b) De Rebus Monast.
(c) De Carcer. (d) Reg. Canon. cap. 134.

currit, eo moderamine, ut juxta custodia sit, per quam reus commissa debeat, & flenda ulterius non committat. c. 35. de Sent. Excom. c. 27. §. 1. de Verb. signif. c. 3. de Pœn. in 6.

12 Fuere tempora, in quibus obstinati, & excommuni- cati opitulante brachio sæculari in exilium agerentur (a), quod Nestorio, aliisque contingit. Refert nonnulla vetera Decreta Gratianus. c. 23. D. 63. c. 6. III. q. 4. c. 3. III. q. 5.

13 Superest novo jure Decretum S. Gregorii, quo man- dat, ut Subdiaconus Calumniator, prius Subdiaconatus of- ficio privetur, atque verberibus publice castigatus in exilium deportetur. c. 1. de Calumn. Juxta Decretum Concilii An- tiocheni: *Quod si quis ista omnia, quæ spectant censuram, contempserit, & Episcopus minime emendare potuerit; Regis judicio ad requisitionem Ecclesiæ exilio damnetur.* Refert. c. 2. de Cler. Excom. En Clementis III. explicationem! *Postmodum vero, inquit, si in profundum malorum veniens, contempse- rit, cum Ecclesia non habeat ultra, quid faciat, ne possit esse ultra perditio plurimorum, per sæcularem comprimendus est potestatem; ita, quod ei deputetur exilium, vel alia legiti- ma, utpote civilis, pœna inseratur. c. 10. de Judic.*

14 Rescripsit Urbanus III. Episcopo inter alia reliquum esse (b), quod de solo vertendo à Clericis exigere possit jura- mentum. In usu Galliæ id & hodie observatur, quod Presby- terum à sua Diœcesi ablegare, aut, si extraneus sit, in suam Diœcesin remittere possit: modo nihil contineat, quod per modum sententiæ pœnam exilii exprimat. Id enim abusivum judicaretur. c. 3. de Crim. Fals. & ibi Interp.

15 S. Augustinus virgarum meminit (c), quibus Episco- pi in juniores Clericos, Abbates in Monachos, paternæ, do- mesticæque disciplinæ, causa ad correctionem castigationem- que, procul ab omni vindictæ genere, utebantur. c. 1. XXIII. q. 1.

16 Hæ sunt pœnæ in tribunali ecclesiastico usitatæ, qua- rum mitiores salutarem correctionem continent; acerbiores eo tendunt, ut vel rei fidelibus nocere nequeant, salva con- versionis via, vel exemplo sint, ut scandala reparentur. A vindicta autem, & supplicio semper abhorrunt Ecclesia. Pro- nuntiat Canon Apostolorum: *Episcopum, Presbyterum, aut Diaconum, qui verberat eos, qui peccant, vel infideles, qui injuriam fecerunt, & per hoc vult timeri, deponi jubemus.* Refert. c. 7. D. 45. Inquit S. Gregorius: *Pastores enim facti sumus, non percussores. c. 1. ibi.* Alibi statuitur: *Non licet*
Epis-

(a) De Exilio. (b) De Emigrat. (c) De Flagell.

Episcopo manibus suis aliquem cedere; hoc enim alienum à Sacerdote esse debet. Refert. c. 25. D. 86.

17 Jure novo rescripsit Alexander III. Panormitano Episcopo: *Pecuniaria poteris pœna multare, & etiam flagellis manibus ministri afficere, ea moderatione adhibita, quod flagella in vindictam sanguinis non transeant. Si vero ita gravis fuerit excessus, quod mortem, vel detractionem membrorum debeant sustinere, vindictam reserves regie potestati.* Refert. c. 4. de Rapt.

18 Præcipit Justinianus, ut, si de crimine civili Clericus convictus esset, prius ab Episcopo sacerdotali dignitate spoliaretur, antequam per Judicem sæcularem pœna subijci possit. *Nov. 83. Præfat. §. 2.* Novo jure hæc depositio, quam degradationem vocamus, locum habet in suppliciis capitalibus. c. 10. de Judic. & ibi Interp.

19 Veteri jure promiscuus usus vocabuli depositionis (a), degradationisque in foro ecclesiastico fuit ad significandum, quod Clericus condemnatus, amisso loco, & gradu sui ordinis (b), in statum, & conditionem laicorum dejectus esset. Ad hominum animos percellendos placuit ritus, Clericum depositum spoliandi publice ornatu clericali, eidemque, si Concilium injuria depositum duxerit restituendum, ornamenta publice reddendi, quæ est sanctio Toletani IV. Concilii. c. 65. XI. q. 3.

20 Et quamquam Clericus depositus laicus feret, non poterat tamen vitam vivere sæcularem, sed Monasterio commendabatur ad pœnitentiam, quam si subire detrectaret, excommunicationis fulmine feriebatur. c. 7. D. 50.

21 Sequentibus temporibus invaluit distinctio inter depositionem, vel degradationem realem, & verbalem. Verbalis est simplex depositio, nullis cæremoniis externis stipata. Realis, sive sollemnis ad hunc fere modum peragitur. Clericus degradandus induitur omnibus sui ordinis ornamentis, manibusque tenet librum, vel aliud officii sui instrumentum: hoc habitu adducitur ad Episcopum, qui singula singillatim ornamenta ei publice eripit, incipiendo ab eo, quod in ordinatione ultimum, & desinendo in eo, quod primum erat, jubetque, ut caput omne radatur ad delendam coronam clericalem, ne ullum supersit Clericatus vestigium. Inter hæc pronuntiat conceptas verborum formulas, eis, quæ in ordinatione adhibentur, contrarias. c. 2. de Pœn. in 6.

22 Hæc sollemnis degradatio fit, si Clericus Curie sæculæ-

(a) De Degrad. (b) Fleur. part. 3. cap. 19.

lari ad supplicium tradendus est: unde Judex laicus coram adstat, ut reum illico ad se rapiat. Ecclesia tamen pro integritate vitæ, & membrorum diserte intercedit. Inde si mortis pœna remittitur, homo claustro ad agendam pœnitentiam traditur. c. 27. de Verb. Signif.

23 Recentius ad solemnem degradationem restrictus est numerus Episcoporum, qui à veteribus Canonibus ad simplicem depositionem requiritur. Nam ad deponendum Episcopum XII. Episcoporum, ad deponendum Presbyterum VI. Episcoporum, ad exauthorandum Diaconum VI. Episcoporum numerus desiderabatur. Minores Clericos Episcopus in consensu sui Cleri deponere poterat. Et hæc quidem veteris temporibus, quibus Concilia frequentiora, & Clericorum crimina rariora fuere, factu erant facilia. Supersunt veteres auctoritates. c. 4. & 7. XV. q. 7.

24 Sequiori tempore Clerici sæpius peccarunt; sed Concilia Episcoporum, in Gallia, & Germania maxime, coactu difficilia fuere. Hinc nonnumquam Episcopi vel per se, vel per suos Officiales deponere ausi sunt Presbyteros. Plerumque autem enormiorum criminum succrevit impunitas, quia non poterat non negotium diutius protrahi, eoquod tanto numero Episcopos oporteret expectare. Concilium Tridentinum (a) pro acceleranda pœna, criminibus debita, statuit, Episcopum ad degradationem solemnem Presbyteri, vel alterius Clerici loco aliorum Episcoporum, tot Abbates infultos, vel alias personas, quæ sunt in ecclesiastica dignitate, advocare posse.

25 Quo res recidit? In Gallia tandem, recusantibus Episcopis sine causæ cognitione degradare Clericos, quos Judices regii in casu privilegiato capitis damnaverant, usus degradationis interiit. Inde pedetentim evuluit reverentia erga personas consecratas, quæ lictoribus palam constringendæ projiciuntur, ut nullam hodie in Francia degradationem videas. Est & alibi degradationis exemplum rarissimum.

26 Modus, quo Ecclesia utitur erga reos, quam dispar sit ab eo, quem observant Principes sæculares in illis puniendis, sat Gregorius II. (b) ex sæculo VIII. exhibet: *Vides, inquit, Imperator Pontificum, & Imperatorum discrimen? Si quispiam te offenderit, domum ejus publicas, & per multas spoliis, solam illi vitam relinquens, tandemque illum etiam vel suspendio necas, vel capite truncas, vel relegas, eumque à Liberis, & ab omnibus cognatis, & amicis suis*

(a) Trid. sess. 13. cap. 4. (b) Greg. II. ep. ad Leon. Isaur.

Cap. 2.
De Orig.
pœn. temp.

suis per exilium amandas. Non ita Pontifices, sed, ubi peccarit quis, & confessus fuerit, suspendii, vel amputationis capitis loco, Evangelium, & crucem cervicibus ejus ad poenitentiam circumponunt, eumque tanquam in carcerem, in Secretaria, sacrorumque vasorum araria, ut commodus locus sit agendæ poenitentiae, conjiciunt, in Ecclesiae Diaconia, & Catechumenia, quæ sunt loca à mundi tumultibus, & peccatorum periculis aliena, ablegant, ac visceribus ejus jejunium, oculisque vigiliis, & laudationem ori ejus, veluti opera salutaris poenitentiae inducunt. Cumque probe castigant, probeque fame afflixerint, tum pretiosum illi Domini corpus imperiunt, & sancto illum sanguine potant, & cum illum vas electionis restituerint, ac immunem peccati, sic ad Dominum purum, insontemque transmittunt. En ordinem omnem poenitentiae.

27 Veteri instituto Monasteria præpimis agendæ poenitentiae destinabantur. Hinc ea ætate retrusiones in Monasteria imponebantur, non tam in vindictam publicam criminum, & in vicem incarcerationis, quam ad salutarem poenitentiam agendam.

28 Quid de fustigationibus, reliquisque tormentis? Inquit Hildebertus Cenomanensis Episcopus (a): Reos tormentis afficere, vel suppliciis extorquere confessionem, censura Curiae est, non Ecclesiae, disciplina: Ecclesia non est carnifex, sed sacrificex; & pro reis immolat, reos autem immolare non solet.

29 Patres Concilii Africani ann. 401. decreverunt, si quis cujuslibet honoris Clericus judicio Episcoporum quocunque crimine damnatus fuerit, non liceat eum sive ab Ecclesiis, quibus præfuit, sive à quolibet homine vi, & armis contra sententiam defensari, interposita poena damni pecuniae, atque honoris, quo nec ætatem, nec sexum excusandum esse præcipimus. c. 3. XXI. q. 5.

30 Hoc præjudicio, reliquoque civilium legum exemplo Jus novum foro ecclesiastico diversa civilium poenarum per viam exactionis, & coactionis, genera arrogat. c. 2. & passim de Pœn.

31 Nostris moribus Judex ecclesiasticus poenam (b) honorariam decernere potest, modo ea obeatur in Prætorio, non vero alibi, ubi non habet territorium. Injungere potest poenam pecuniariam, non multæ nomine, sed eleemosynarum, ubi opus pium, cui applicandæ, exprimendum. In-

(a) Bibl. Patr. tom. 21. pag. 128. (b) Fleur. supr. cap. 18. §. 3.

jungere potest flagellationem remotis arboribus, non fustigationem publice manu Carnificis infligendam. Injungere potest Clerico extraneo emigrationem è Diocesi, non vero exilium imperare. Injungere potest carcerem perpetuum, & ob crimina leviora secessum in Monasterium, vel Seminarium. Quæ distinctiones presse observandæ, ne appellationibus tanquam ab abusu fenestra aperiatur.

32 Ecclesiae propriae sunt censuræ, quæ olim forum poenitentiale spectabant, & instruebant, quia à potestate clau-
vium haud sejunctæ erant. Quippe juxta Morinum (a): *Ars illa stricte, præciseque, & secundum formalitates logicas de censuris ecclesiasticis loquendi, & philosophandi per undecim, & amplius sæcula ecclesiasticis auctoribus cognita non fuit.*

33 Scholastici tres tantum censuras recensent. Unde colligitur, depositionem, & degradationem apud eos eo nomine haud venire, irregularitatem impedimentum esse Canonicum, non autem censuram; interdictum censuram esse, non vero cessationem à divinis. Quippe rescripsit Innocentius III. per censuram interdicti, suspensionis, & excommunicationis sententiam intelligi. c. 20. de Verb. Signif.

34 In scholis inde vulgo recepta est definitio censuræ, quod sit poena spiritualis, & medicinalis, privans usu aliquorum spiritualium bonorum per ecclesiasticam potestatem ita imposita, ut per eandem ordinarie absolvi possit. Ait Suaresius (b): hæc definitio desumpta est ex iis, quæ jura, & Doctores communiter de censuris tradunt; ab his enim desumenda est descriptio, & essentia talium rerum moralium, quæ ex arbitrio hominum pendent.

35 Invaluit illis sæculis, quod forum internum poenitentiale, à foro externo, scilicet contentioso, jurisdictionis ecclesiasticæ distingueretur, secernereturque Ordinis potestas à potestate jurisdictionis. Inde auctoritas ferendi censuras ad forum externum, & potestatem jurisdictionis referri coepit, quia à potestate Clavium interna, quæ exercetur in foro poenitentiali, spectatque potestatem Ordinis, totaliter separatur.

36 En consecraria! nemo potest virtute Clavium ferre censuras, nisi habeat in foro externo jurisdictionem: nec enim sufficit, quod habeat potestatem clavium in foro poenitentiali absolvendi, & retinendi peccata. Quippe hæc discretio refertur ad potestatem Ordinis.

37 Ulterius, quia Episcopo confirmato competunt ea, Ep. Van-Espen. T. II. Fff quæ

(a) Morin. de Sacram. Poenit. lib. 6. cap. 25.

(b) Suares. de Censur. Disp. 1. sect. 1.

quæ jurisdictionis sunt, ejus est potestas censuras ferendi, licet necdum ordinatus fuerit: econtra Episcopus titularis, licet ordinatus, destituitur potestate ferendi censuras, quia jurisdictione caret pro foro externo. Quid amplius? Et simplici Clerico, vel primæ tonsuræ, vi jurisdictionis competentis concedunt potestatem ferendi censuras, quia hæc jurisdictio nullum supponit characterem, cum ad forum contentiosum pertineat.

38 Jure novo occurrit exemplum, Pontificem æqui, bonique habuisse, quod Abbatissa tum Canonicas, tum & Clericos suæ jurisdictioni subditos ab officio, & beneficio suspenderit, saltem per viam mandati. *cap. 12. de Major. & Obed.*

39 Postquam receptum est, auctoritatem ferendi censuras cohærere potestati jurisdictionis, consequens fuit, illam & via consuetudinis, præscriptionisque acquiri posse, quemadmodum alia, quæ jurisdictionis sunt. Afferunt in eam rem exemplum. *cap. 3. de Offic. Judic. Ordin.*

40 Declarat Bonifacius VIII. censuram Episcopi non spectare subditos, extra ipsius Diocesis peccantes, quia in aliena Diocesi jurisdictione destituitur. Ideoque censura lata in non subditum, aut extra territorium defectu jurisdictionis est nulla. *cap. 2. de Constit. in 6.*

41 Quum tum frequentia essent privilegia exemptionis, quæ regulares à jurisdictione Episcopi liberarunt, statuit Synodus Tridentina (a), ut censuræ, & interdicta, nedum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, à Regularibus in eorum Ecclesiis publicentur, atque observentur.

Cap. 4.
De Divers.
Excommu.
spec.

42 Inter censuras ecclesiasticas primum tenet locum excommunicatio, cujus diversæ species in veterum disciplina observantur. Nam & Episcopus qui adesse Concilio neglexit, vel alienum Clericum ordinavit, excommunicatus dicebatur, quod, communionem aliarum Ecclesiarum privatus, ad propriæ Ecclesiæ communionem restringeretur. *cap. 10. 12. 13. 14. Dist. 18.*

43 Aliud veteris hujusmodi excommunicationis exemplum fuit, quod aliquando Episcopi, aut Ecclesiæ à mutua se communionem distare significarent per rejectionem literarum communicatoriarum, commendatitiarumque. Vetus enim usus fuit, quod Ecclesiæ invicem sibi communionis literas, quas Formatas dixere, mitterent, fidelibusque ultro, citroque ex una

(a) Trid. sess. 25. de Regul. cap. 12.

ad aliam Ecclesiam commeantibus, commendatitiis, seu pacificas redderent, quia peregrinum in aliena Ecclesia ad Sacra admittere non licuit, nisi sui Episcopi stipatus fuisset epistolis. Si ergo una Ecclesia alteri has communionis literas dare, aut invicem recipere recusaret, communionem mutuam abruptis, per quandam speciem execrationis, vel excommunicationis, videbatur. Ita Epiphanius scripsit ad Joannem Hierosolymitanum (a): *Fecistis nos etiam pœnitentiam agere, quare vobis communicaremus, ita Origenis errores, & dogmata defendentibus. Simpliciter loquor, nos, secundum quod scriptum est, nec oculo nostro parcimus, ut non effodiamus eum, si nos scandalizaverit; nec manui, nec pedi, si nobis scandalum fuerit: & vos ergo, sive oculi nostri, sive manus, sive pedes fueritis, similia sustinebitis.* Refert S. Hieronymus.

44 Absit vero, quod id genus excommunicationis rationem censuræ ecclesiasticæ ad effectum potestatis clavium præsetulerit! Nam & sæpe populus, causa scandali, ipsius sui Pastoris communionem exhorruit. Refert S. Cyrillus (b): *Cum primum Nestorius in publica Synaxi hæresin suam prompsisset his verbis: Siquis Mariam Deiparam esse dixerit: anathema sit: clamor quidam oritur, & excursus fit ab omni plebe. Neque enim illi amplius, cum talia sentiret, communicare volebant, ita, ut populus Constantinopolitanus à Synaxi abstineret.*

45 Atque veteri more tam frequens harum dissensionum, discessionumque exemplum fuit, ut Synodus Constantinopolitana IV. (c) quia animadvertit, sæpe sine causa plebem à sui Pastoris communionem abhorruisse, hanc cautelam objicere debuerit. *Nullus Clericus ante diligentem examinationem, & syndicam sententiam à communionem proprii Patriarchæ se separet, licet criminalem quamlibet causam ejus se nosse prætendat: nec recuset nomen ipsius referre inter divina mysteria. Idem statuimus de Episcopis erga proprios Metropolitanas: similiter, & de Metropolitanis circa Patriarcham suum. Qui vero contra fecerit ab omni sacerdotali operatione, & honore decidat.*

46 Repressis corruptelis supererat ad exemplum veteris juris & in Monasteriis quoddam excommunicationis genus, quo juxta Regulam S. Benedicti Fratres (d), serius venientes, vel

Fff 2 alias

(a) S. Hier. epist. 60. (b) S. Cyrill. ad S. Cælest. epist. 18.
(c) Synod. Constant. IV. can. 10. (d) Reg. cap. 45.